



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. LIV. De B. Ioanna de la Croix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

## CAPVT LIV.

*De B. Ioanna de la Croix.*

**S**eptimam hoc loco pro mantiffa adijcio Virginem  
 ——— (*nam numero Deus impare gaudet*)

B. Ioannam de la Croix, religiosam tertij Ordinis D. Francisci in monasterio S. Mariæ de la Cruz prope Madritum, vt fufius id recensetur cap. 10. vitæ eiusdem. Hæc rogata à Sororibus vt aliquas rosarijs granisq̃ cælitus benedictiones impetraret, annuit votis earum, & Deum orauit, exorauitq̃; nam eius iussu Angelus Tutelaris rosaria Sororum omnia, aliaq̃ complura in cælos detulit eademq̃ à Deo ipso benedicta multisq̃ gratijs aucta restituit, ita vt omnia singulaq̃ rosariorum grana à Deo ipso virtutes gratiasq̃ hæc sint consecuta.

1. Easdem omnino cum Ceris benedictis, quas Agnos Dei dicimus, virtutes obtinent. quos Agnos Dei contra pestem plurimum valere supra diximus.

2. Præsentissimum sunt aduersus cacodæmones remedium.

3. Multum in illis præsidij est aduersus ignem, tempestates, tonitrua, fulmina, febres itē, pestemq̃; & alios morbos.

4. Animi anxietatibus etiam medelam adferunt, aliasq̃; perturbationes à malo spiritu excitatas sedant.

Sciendum verò grana quæ primarium aliquod granum contigerunt easdem omnino virtutes gratiasq̃ obtinere, vt Deus ipse indulfit: verum non possunt contactu suo alijs granis easdem virtutes communicare. Sunt hæc indulgentiæ à Christo Iesu concessæ, deinde à Rom.



Anton:  
Mist. part.  
3. tit. 24. c.  
7. parag. 4.

li. 11. ca. 20.

Serius  
29. Sept.

Pontificibus Gregor. XIII. & Paulo V. confirmatae, ne quis eas figmenti loco habeat aut contemnat. Mirum quidem est, Indulgentias è caelo dari; sed non adeò mirandum ut fidem rei veritati tollat. In vita S. Francisci simile quid legimus, de quo ita S. Antoninus: Anno Domini 1223. mense Ianuario B. Franciscus obtinuit primò à Deo, intercedente B. Dei genitrice Maria; & demum à suo vicario Honorio III. indulgentiam plenariam peccatorum annis singulis, accedentibus ad Ecclesiam S. Mariae de Angelis, primâ die Augusti, & quòd durarent per diem naturalem, incipiendo à secundis vesperis illius diei, vsque ad vespertas diei sequentis, includendo noctem. quo die illa Ecclesia fuit à septem Episcopis de mandato Domini Papae, solenniter consecrata, & dicta indulgentia publicata. Bart. Pisan. item Conform. fruct. 14. viuz vocis oraculo (vt dicitur) sine diplomate Pontificio, sed promulgante Deo istae datae, tantâ frequentia singulis annis etiamnum celebrantur, vt aliquando confluant triginta hominum millia, eoque amplius, & sicuti magnus exercitus, circum locum quasi castra metentur. Confirmavit easdem Alexander IV. alijque plurimi Pontifices. Ordinarium quidem est vt per Ecclesiasticos ministros indulgentiae fidelibus dispensentur: sed interdum de speciali priuilegio per seipsum eas Deus dispensat. Sicuti ordinaria & communi lege nullus Sacros Ordines suscipit nisi à ministris Ecclesiae, ad hoc à Deo potestatem habentibus: legimus nihilominus quosdam ab Angelis caelitus esse Sacris Ordinibus initiatos, vt particulariter de S. Amphilochio scribit Nicephorus, què refert ab Angelis in Episcopum Iconij fuisse ordinatum; quam ordinationem reliqui Episcopi ratam & firmam habuerunt. ita quaedam Ecclesiae ab iisdem Angelis consecratae noscuntur, vt nominatim Ecclesia S. Michaëlis in monte Gargano ab ipso S. Michaële Archang.



le Archangelo, circa quam aliquid innouare, Episcopo Si-  
pontino prohibuit. Sicuti enim per ordinarios suos mini-  
stros potest quemlibet Sacramenti & Sacramentalium ef-  
fectum conferre, ita pari modo per seipsum, aut per extra-  
ordinarios à se deputatos, nulli siquidē instrumēto alligata  
est vis diuina, quæ se solâ potest quidquid cum alio potest.

## CAP. LV.

*De Sanctis qui peste obierunt.*

**N**on solùm, vt superiùs dixi, hîc commemorabo  
sanctos Tutelares qui miraculosâ ope pestem à  
suis clientibus propulsarunt, verùm & eos qui vel  
eâ viui afflicti, vel morte per eam defuncti sunt. in eo enim  
in quo passi sunt ipsi & tētati, potentes sunt & eis qui ten- Heb. 27  
tantur auxiliari. Primum verò locum in hac serie exigunt  
ardentes illi fraternâ caritate presbyteri & diaconi Eccle-  
siæ Alexandrinæ, qui propriâ corporum salute contemptâ,  
de proximorum autem maximè solliciti, igne veri amoris  
succensi, in acerbissima illa cōtagione sub Valeriano Impe-  
ratore eadem infectis constantissimè ad mortem vsque mi-  
nistrarunt, & mortem lubentissimè pro fratribus suis op- Martyrol.  
Rom. 28.  
Feb.  
petierunt, quos veluti martyres religiosa piorum fides, in-  
quit Rom. Martyrologium, venerari consuevit. Et quid ni  
tamquam martyres? Sicuti enim hi pro Christo, ita illi pro  
proximis suas animas posuerunt. Sed iuuat audire ocula-  
tum rei gestæ testem Dionysium Alexand. Episcopum.  
Quàm plurimi è Fratribus nostris, inquit, adeò immenso  
quodam caritatis & fraternæ beneuolentiæ ardore erant  
inflammati vt minimè suæ parcentes vitæ, sed ipsi sibi inter  
se firmè adhærescentes, eos qui morbo opprimebantur